



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

Parisiis, 1644

I. Qualiter debeant episcopi ordinari.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15256

- LXXXVI. *Vt nuper baptizati caste & continenter viuant.*
- LXXXVII. *De catholicis, qui causam apud infideles proponunt.*
- LXXXVIII. *De his qui ecclesia pretermissa ad spectacula pergunt.*
- LXXXIX. *De his qui auguriis, vel incantationibus, vel iudaicis superstitionibus seruiunt.*
- XC. *De energumenis.*
- XC I. *Item de energumenis.*
- XCII. *De victu energumenerum.*
- XCIII. *Vt oblationes discordantium non recipiantur.*
- XCIV. *Vt oppressorum pauperum oblationes non suscipiantur.*
- XC V. *De his qui oblationes defunctorum ecclesis fraudant.*
- XCVI. *De accusatore & accusato.*
- XCVII. *De eo qui religiosis feminis prescitur, vt probetur.*
- XCVIII. *Vt laicus presensibus clericis non doceat.*
- XCIX. *Vt mulieres publice docere non presumant.*
- C. *Vt mulieres baptizare non presumant.*
- CI. *De viduis, adolescentibus & infirmis.*
- CII. *Ne clerici viduarum familiaritati associentur.*
- CIII. *De viduis qua ecclesia stipendiis sustentantur.*
- CIV. *De viduis qua professa continentiam, prauaricatae sunt.*

Pro vniuersorum capitulorum sequentium titulo vniuersali ponebatur, tam in Gamblacensi coenobii codice, quam S. Bauonis in Gandauo, solum istud.

STATVTA ECCLESIAE ANTIQVA.

AVGVSTO Honorio quarto & Euty chiano consulibus, sexto Idus Nouembris, cum Aurelius episcopus in Concilio vniuersali, Carthagine in secretario cum omnibus consacerdotibus suis confedisset, placuit cum eo cunctis qui fuerunt in eadem sancta Synodo, constituere haec, quae ad ordines ecclesiasticos canonicis sunt necessariae disciplinae. Ibi in principio constitutum est, qualis ordinari debeat episcopus.

CAPITVLA.

I.

Diffin. 23. Qui episcopus ordi- nan.

Qui^d episcopus ordinandus est, antea examinetur, si natura sit prudens, si docibilis, si moribus temperatus, si vita castus, si sobrius, si semper suis negotiis^{*} cauens, si humilis, si affabilis, si misericors, si literatus, si in lege Domini instructus, si in scripturarum sensibus cautus, si in dogmatibus ec-

ju xxx

clesiasticis exercitatus: & ante omnia, si fidei documenta verbis simplicibus asserat, id est Patrem & Filium & Spiritum sanctum, vnum Deum esse confirmans, totamque Trinitatis deitatem coessentialem, & consubstantialem, & coaeternalem, & coomnipotentem prædicans: si singularem quamque in Trinitate personam plenum Deum, & totas tres personas vnum Deum: si incarnationem diuinam non in Patre neque in Spiritu sancto factam, sed in Filio tantum credat; vt qui erat in diuinitate Dei Patris Filius, ipse fieret in homine hominis matris Filius, Deus verus ex Patre, homo verus ex matre, carnem ex matris visceribus habens, & animam humanam rationalem, simul in eo ambæ naturæ, id est, Deus & homo, vna persona, vnus Filius, vnus Christus, vnus Dominus creator omnium quæ sunt, & auctor, & Dominus, & rector, cum Patre & Spiritu sancto, omnium creaturarum: qui passus sit vera carnis passione, mortuus vera corporis sui morte: resurrexit vera carnis suæ resurrectione, & vera animæ resumptione, in qua veniet iudicare viuos & mortuos. Quærendum etiam ab eo, si noui & veteris testamenti, id est, legis & prophetarum, & apostolorum vnum eundemque credat auctorem & Deum: si diabolus non per conditionem, sed per arbitrium factus sit malus. Quærendum etiam ab eo, si credat huius quam gestamus, & non alterius, carnis resurrectionem: si credat iudicium futurū, & recepturos singulos pro his quæ in carne gesserunt, vel pœnas vel gloriam: si nuptias non improbet, si secunda matrimonia non damnet, si carniū perce-

ptionem non culpet, si pœnitentibus reconciliatis communicet, si in baptismo omnia peccata, id est, tam illud originale contractum, quam illa quæ voluntarie admiffa sunt, dimittantur: si extra ecclesiam catholicam nullus saluetur. Cum in his omnibus examinatus, inuentus fuerit plene instructus, tunc cum consensu clericorum & laicorum, & conuentu totius prouinciæ episcoporum, maximeque metropolitani vel auctoritate vel præsentia ordinetur episcopus. Suscepto in nomine Christi episcopatu, non suæ delectationi, nec suis motibus, sed his patrum diffinitionibus acquiescat. In cuius ordinatione etiam ætas requiratur, quam sancti patres in præeligendis episcopis constituerunt. Dehinc disponitur, qualiter ecclesiastica officia ordinantur.

II.

Dist. 23.
Episcopus
dum ordi.

Episcopus cum ordinatur, duo episcopi ponant & teneant euangeliorum codicem super caput & * ceruicem eius, & vno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes episcopi, qui adsunt, manibus suis caput eius tangant.

III.

Ibi. Presbyter
cum
ordi.

Presbyter cum ordinatur, episcopo eum benedicente, & manum super caput eius tenente, etiam omnes presbyteri qui præsentés sunt, manus suas iuxta manum episcopi super caput illius teneant.

IV.

Ibi. Diaconus
dum
ordi.

Diaconus cum ordinatur, solus episcopus, qui eum benedicit, manum super caput illius ponat: quia non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecratur.

V.